

M.I.

202

H

Ms. 87

MI-202

7834 784 = 77 (02) 4 1753

MI-202

**ORDO  
SERVANDUS  
IN  
LITANIARUM**

**MAIORUM, ET MINORUM**  
Processionibus, quæ in Festo

**SANCTI MARCI,**

**ET TRIBUS DIEBUS**  
antè Ascensionem Domini celebrantur;

Necnon & in Precibus, quæ pro quacumque  
necessitate, ac gratiarum actione fieri  
consuefcunt.

*To Choro*

*De Marcos*



**LISBONÆ, M.DCC.LIII.**

---


Apud JOSEPHUM DA COSTA COIMBRÆ.

*Cum facultate Superiorum.*

Filio jerusalem, venite & videte Martires  
cum coronis, quibus coronavit eos Domi-  
nus in die solemnitatis, & letitiae, alleluia  
alleluia

Preterea in conspectu Domini alleluia

Deus, qui beatum Marcum Evangelistam tuum  
Evangelicæ predicationis gratia sublimasti: tribue  
quæsumus, ejus nos semper et eruditione proficere,  
et oratione defendi, per Dominum N I Christum



## DE PROCESSIONIBUS.

**F**INITA Missa Conventuali, & recitatis post illam, Sexta, & Nona, (si ante Missam recitatae non fuerint) omnes Monachi cucullis induti in Sacristiam descendunt, ubi jam Hebdomadarius, seu Monachus, qui Missam celebravit Conventualem, debet esse paratus amictu, alba, cingulo, stola, & pluvioli violacei coloris, quem comitari debent Ministri (si sit sufficiens numerus Monachorum) cum paramentis suis Ordinibus competentibus, etiam violacei coloris.

Omnibus paratis in Ecclesiam procedunt, hoc Ordine: Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, Acolythus cum Cruce, medius inter Ceroferarios cum candelabris, & cereis accensis, Cæremoniarum Magister, Monachi bini, & bini, & ultimò Celebrans inter Ministros sacros, elevantes fimbrias pluviolis.

Hoc ordine progrediuntur usque ad sacellum maximum, in cuius aditu Crucifer, & Ce-

4  
roferarei absque genuflexione, & capitis inclinatione, se collocant ex parte Evangelii; deinde Monachi bini, & bini ingredienti, Sacramento (si in Altari sit tabernaculum) aliàs. Cruci debitam faciunt reverentiam, & se invicem salutantes cum capitis inclinatione, ad loca sua recedunt, hoc ordine: Qui ad dextram venit, transiens ante suum collateralem, recedit ad latus Evangelii, & qui ad sinistram procedit, cedens superiorem locum suo comiti transit ad partem Epistolæ. Celebrans ultimo ingrediens, chorum in medio sacelli cum Ministris salutatur (quod etiam omnes Monachi facere debent in ingressu, postquam in choro ex utraque parte tres Monachi constituti fuerint,) deinde in infimo Altaris gradu Sacramento, seu Cruci debitam faciens reverentiam, breviter orat genuflexus, quod etiam omnes de choro similiter faciunt. Interim Crucifer cum Ceroferariis se movens super dextram, collocat se in medio aditus sacelli versus Altare, imaginem Crucifixi etiam ad illud vertens.

Peraçta oratione, surgunt omnes, & Celebrans ministrante Diacono, seu Cæremoniaro, si non adsint Ministri sacri, imponit thus in thuribulo, more solito; deinde Cantores in medio chori incipiunt Antiphonam Exúrge Dómine &c., quam  
cho-

chorus profequitur; qua repetita, omnes, excepto Crucifero, & Ceroferariis, genuflectunt, & Cantores in medio chori incipiunt Kyrie eleison, & profequuntur Litanias, ad quas omnes genuflexi permanere debent, choro Cantoribus eadem voce respondente, usque ad Sancta Maria, ora pro nobis inclusivè. Ad Sancta Dei genitrix, æqualiter surgunt omnes, & bini, & bini Sacramento, seu Cruci debitam faciunt reverentiam, & procedit Processio de more, in qua imago Crucifixi terga vertere debet Monachis, & Litanie cum pausa cantari debent, & si gyrus sit brevis, nec ideo sistere debet Processio, sed pari, & modesto gressu semper ambulare, & completo gyro in sacellum redibunt, ubi, ut à principio dispositi, Litanias flexis genibus absolvent.

Finitis Litanis, Celebrans cum Ministris genuflexus in infimo Altaris gradu, dicit Pater noster, quo secretò repetito, adhuc genuflexus dicit Et ne nos &c., & responso à choro Sed libera nos &c., Cantores incipiunt Psalmum Deus in adiutorium &c., quod chorus profequitur. Finito Psalmo cum Glória Patri &c., Celebrans adhuc genuflexus dicit Versus usque ad Dómine exáudi orationem meam inclusivè, deinde surgens, dicit Dóminus vobiscum, & stans dicit Orationes usque ad finem, sustentan-  
tibus

tibus librum Ministris sacris, si adsint, aliàs Cæremoniarius librum sustinebit, & his peractis, discedunt omnes eodem ordine, quo venerant, & campana, quæ à principio Litaniarum lugubri sono pulsari debet, cessat à strepitu.


Si chorus sit in Presbyterio, Monachi non debent in Sacristiam exire, sed finita Missa ibidem Sextam, & Nonam recitabunt, & interim Celebrans recedens cum Ministris, facta choro debita reverentia, in Sacristia deponit manipulum, & planetam, & accipit pluviale violaceum, & Ministri sacri etiam depositis manipulis, paramenta violacea induunt. Circa finem Nonæ Acolythi pallio violaceo Altare cooperiunt, & illa completa, Celebrans cum Ministris sacris ingreditur sacellum, præcedentibus Thurifero, Crucifero inter Ceroferarios, & Cæremoniario.

In ingressu Præbyterii Crucifer cum Ceroferariis se locat ex parte Evangelii, dans locum Celebranti, & Ministris, qui in medio sacelli salutare debent chorum ex utraque parte, & chorus stans illis respondebit cum æquali salutatione, deinde progrediuntur usque ad infimum Altaris gradum, & omnia alia implebuntur, ut dictum manet.

Si au-

*Si autem Nona ante Missam Conventua-  
lem dicta fuerit , tum Celebrans finita Missa  
in Sacristiam non recedet , sed in plano ad latus  
Epistolæ cum Ministris paramenta mutabit , &  
cooperto Altari ab Acolythis pallio violaceo ,  
ad medium accedet , & facta reverentia debi-  
ta Sacramento , seu Cruci , imponet thus in thu-  
ribulo ; tum Cantores incipient Antiphonam Ex-  
urge &c. , & prosequentur omnia , ut supra.*

Epistola cum Ministerio parvorum munitis, &  
cooperato Altari ab Acolythis pallio circumdatis,  
ad medium accedat, & facta reverentia debi-  
ta Sacramento, seu Crucis, imponat tunc in the-  
tribulo, tunc Cantoris insignis Antiphonam Iux-  
ta hoc, & postquam omnia, ne supra-



# ORDO SERVANDUS

IN LITANIARUM  
majorum Processione, quæ in die festo

SANCTI MARCI  
Celebrantur.

## ANTIPHONA.


**E** X-úr-ge Dó-mi-ne, ád-ju-

va nos, & lí-be-ra nos propter no-

men tu-um. *Psalm.* De-us áu-ri-bus

B


no-




no- stris au- dí- vi- mus: pa- tres no-



stri an- nun- ti- a- vé- runt no- bis.



ŷ. Gló- ri- a Pa- tri, & Fí- li- o,




& Spi- rí- tu- i fan- cto: Sicut



e- rat in princí- pi- o, & nunc, &




sem- per, & in sæ- cu- la sæ- cu- ló- rum.




rum. A- men. *Repet.* Exúr- ge.

*Cantores incipiunt.*




*Chorus idem repetit, & sic in sequentibus usque ad Pater de coelis Deus, exclusivè.*



Chri- ste e- lé- i- fon.




Ky- ri- e e- lé- i- fon.



Chri- ste au- di nos.

B 2


Chri-



Chri- ste ex- áu- di nos.




Pa- ter de cœ- lis De- us ,




Mi- se- ré- re no- bis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.  
 Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.



San- cta Ma- ri- a ,



O- ra pro no- bis.


*Insur-*

*Insurgunt omnes, & ordinatim procedunt.*


Sancta Dei Génitrix, ora pro nobis.  
 Sancta Virgo vírginum, ora.  
 Sancte Michael, ora.  
 Sancte Gábriel, ora.  
 Sancte Ráphael, ora.  
 Omnes sancti Angeli, & Archángeli, oráte  
 pro nobis.  
 Omnes sancti beatórum spirítuum órdis-  
 nes, oráte.  
 Sancte Joánnes Baptísta, ora.  
 Sancte Josef, ora.  
 Omnes sancti Patriarchæ, & Prophétæ, oráte.  
 Sancte Petre, ora.  
 Sancte Paule, ora.  
 Sancte Andréa, ora.  
 Sancte Jacóbe, ora.  
 Sancte Joánnes, ora.  
 Sancte Thoma, ora.  
 Sancte Jacóbe, ora.  
 Sancte Philíppe, ora.  
 Sancte Bartholomæe, ora.  
 Sancte Matthæe, ora.  
 Sancte Simon, ora.  
 Sancte Thaddæe, ora.  
 San-

Sancte Mathía ,	ora.
Sancte Bárnaba ,	ora.
Sancte Luca ,	ora.
Sancte Marce ,	ora.
Omnes sancti Apóstoli & Euangelístæ ,	oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini ,	oráte.
Omnes sancti Innocéntes ,	oráte.
Sancte Stéphane ,	ora.
Sancte Laurenti ,	ora.
Sancte Vincénti ,	ora.
Sancti Fabiáne & Sebastíane ,	oráte.
Sancti Joáannes & Paule ,	oráte.
Sancti Cosma & Damiáne ,	oráte.
Sancti Gervási & Protási ,	oráte.
Omnes sancti Mártyres ,	oráte.
Sancte Silvéster ,	ora.
Sancte Gregóri ,	ora.
Sancte Ambrósi ,	ora.
Sancte Augustíne ,	ora.
Sancte Pater noster Hieronyme ,	ora.
Sancte Martíne ,	ora.
Sancte Nicolée ,	ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres ,	oráte.
Omnes sancti Doctóres ,	oráte.
Sancte Antóni ,	ora.
Sancte Benedícite ,	ora.
Sancte Bernárde ,	ora.
	San-

Sancte Domínice ,	ora.
Sancte Francísce ,	ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ ,	oráte.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ ,	oráte.
Sancta María Magdaléna ,	ora.
Sancta Agatha ,	ora.
Sancta Lúcia ,	ora.
Sancta Agnes ,	ora.
Sancta Cæcília ,	ora.
Sancta Catharina ,	ora.
Sancta Anastásia ,	ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ ,	oráte.
Omnes Sancti , & Sanctæ Dei , Intercédite pro nobis.	



Pro- pí- ti- us e- sto ,



Par- ce no- bis Dó- mi- ne.

Propítius esto ,  
Ab omni malo ,  
Ab omni peccáto ,  
Ab ira tua ,

Exáudi nos Dómine.  
líbera nos Dómine.  
líbera.  
líbera.  
A fla-

A flagélló terræmótu,	líbera.
A subitánea, & improvísa morte,	líbera.
Ab insidiis diabóli,	líbera.
Ab ira, & ódio,   & omni mala voluntáte,	
líbera nos Dómine.	
A spírítu fornicatiónis,	líbera.
A fúlgure, & tempestáte,	líbera.
A morte perpétua,	líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ,	líbera.
Per advéntum tuum,	líbera.
Per nativitátem tuam,	líbera.
Per baptísmum & sanctum jejúnium tuum,	
líbera nos Dómine.	
Per Crucem, & passióem tuam,	líbera.
Per mortem, & sepultúram tuam,	líbera.
Per sanctam resurrectióem tuam,	líbera.
Per admirábilem ascensióem tuam,	líbera.
Per advéntum Spírítus sancti Parácliti,	líbera.
In die judícii,	líbera.




Pecca- tó-res, Te ro- gámus au- di nos.


Ut nobis parcas,	Te rogámus.
Ut nobis indúlgeas,	te rogámus.
	Ut



Ut nos exaudire digneris,                    te rogámus.  
Fili Dei,    te rogámus.




Agnus De-i, qui tollis peccáta mundi,



Par-ce no-bis Dó-mi-ne.


Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,  
Exáudi nos Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,  
Miserére nobis.




Chri- ste au- di nos.

*Chorus idem repetit usque ad ultimum Kyrie  
eléison, exclusivè.*




Chri- ste ex- áu- di nos:


Kyrie



Ky-ri- e e- lé- i- fon.



Chri-ste e- lé- i- fon.




Ky-ri- e e- le- i- fon.

*Sacerdos.* Pater noster. *secretò.*  
 ŷ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.  
 R̄. Sed líbera nos à malo.


*Cantores.*

*Psalmus.*

**D**



E- us in ad-ju- tó-ri- um



me-um in- tén- de: \* Dómi- ne ad ad-juván-



juvándum me fe- stí- na.

Confundántur , & reve-reántur , \* qui quæ-  
runt ánimam meam.

Avertántur retrórsu(m) , & erubéscant , \* qui  
volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes , \* qui di-  
cunt mihi : Euge , euge.

Exúltent & læténtur in te omnes , qui quæ-  
runt te , \* & dicant semper : | Magnificétur  
Dóminus , qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum : \* Deus  
áduva me.

Adjútor meus , & liberátor meus es tu : \*  
Dómine ne moréris.

Glória Patri , & Fílio , \* & Spirítui  
sancto.

Sicut erat in princípio , & nunc , & sem-  
per , \* & in sæcula sæculórum. Amen.

ŷ. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus sperántes in te.

ŷ. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis.

R. A fácie inimíci.

ŷ. Nihil proficiat inimícus in nobis.

R. Et

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

ψ. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.

R. Neque secúndum iniquitátes nostras retribuas nobis.

ψ. Orémus pro Pontífice nostro N.

R. Dóminus conférvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, | & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

ψ. Orémus pro benefactóribus nostris.

R. Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus | propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.

ψ. Orémus pro fidélibus defúntis.

R. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, | & lux perpétua lúceat eis.

ψ. Requiéscant in pace.

R. Amen.

ψ. Pro frátribus nostris abséntibus.

R. Salvos fac fervos tuos, Deus meus sperántes in te.

ψ. Mitte eis Dómine auxiliúm de sancto.

R. Et de Sion tuére eos.

ψ. Dómine exáudi oratiómem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ψ. Dó-

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

*Sacerdos cantat.*

Orémus.

*Oratio.*

**D**Eus, cui próprium est miseréri semper & párcere: súscipe deprecationem nostram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménte absólvat.

**E**Xáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, & confitentium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus, & pacem.

**I**Neffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménte osténde: ut simul nos & á peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis, quas pro his merémur, erípias.

**D**Eus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

Omni-

**O**Mnípotens sempitérne Deus, miserére famulo tuo Pontífici nostro N. & dirige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salutis æternæ: ut te donánte tibi plácita cúpiat, & tota virtúte perficiat.

**D**Eus, à quo sancta desidéria, recta consilia, & justa sunt ópera: da fervis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstiùm subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

**U**Re igne sancti Spíritus renes nostros, & cor nostrum, Dómine: ut tibi casto corpore serviámus, & mundo corde placeámus.

**F**Idélium Deus ómnium Cónditor, & Redemptor, animábus famulórum, famularúmque tuárum remissionem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatióibus consequántur:

**A**ctiões nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proféqueré: ut cuncta nostra orátio, & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

Omni-

**O**Mnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide, & ópere futúros esse prænúscis: te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscepit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. R̄. Amen.

*Deinde cantatur Antiphona cum ψ. & Oratione Sancti Patroni; postea Sacerdos cantat.*



ψ. Dóminus vobíscum.

R̄. Et cum spírítu tuo.

*Duo  
Cant.*

ψ.

**E**X-áu-di-at nos om-ní-po-





tens, & mi-sé-ri-cors Dómi-nus.


*Cho-*

Cho-  
rus.  
R.

**E**



T cu- stó- di- at nos sem-



per. A- men.

*In Litanis minoribus Rogationum serventur omnia, ut supra in Litanis majoribus.*



D

OR.



## ORDO AD PRECES.

**P**Reces, quando pro aliqua necessitate fiunt, juxta consuetudinem Ordinis nostri, fieri debent post Missam majorem, seu post Vesperas, in Altari, ubi est tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, quod debet ornari pallio albi coloris, & in quo ardere debent ad minus viginti cerei.

In fine Missæ, seu horæ, quæ post illam recitatur, seu Vesperarum, exit è Sacristia Hebdomadarius paratus stola, & pluviâ violacei coloris super cucullam, præcedentibus, Thuriferario cum thuribulo accenso, & navicula, Ceroferariis cum candelabris, & cereis accensis, Sacrista, & Cæremoniarius Magistro. Cum ad Altare prævenerint, omnes in plano genuflectunt, & Ceroferarii in angulis secundi gradus Altaris candelabra deponunt, ibidem Hebdomadarius stans, ministrante Cæremoniarario, imponit thus in thuribulo absque benedictione, & hoc factò, genuflectit; tum Sacrista cum genuflectione ante, & post, & maxima reverentia aperit ostium

ostium Tabernaculi, in cuius limine debet esse ostensorium cum Sacramento, quod Hebdomadarius ter incensat, accipiens thuribulum à Cæremoniario sine osculis, profundam faciens ante, & post reverentiam.

Facta thurificatione, duo Cantores in medio Chori incipiunt Litanias, quas prosequuntur, choro respondente usque ad finem, ( & interim campana lugubri somno pulsari debet ) quibus finitis, Hebdomadarius, qui etiam illas privatim cum assistentibus recitare debet, adhuc genuflexus dicit Pater noster, quo secreto repetito, in fine dicit Et ne nos &c., & responso à Choro Sed libera nos &c., Cantores incipiunt Psalmum congruentem, juxta ordinem infra præscriptum; finito Psalmo cum Glória Patri &c. Hebdomadarius dicit adhuc genuflexus Versus convenientes ut infra, usque ad Dómine exáudi orationem meam inclusivè; deinde surgens dicit Dóminus vobiscum, & Orationes usque ad finem, ad quas Cæremoniarius sustinere debet librum.

Expletis precibus, genufleñt Hebdomadarius, & à Choro solemniter cantatur 'Tantum ergo Sacramentum, &c. (statimque campanæ solemniter pulsentur) & cum ad Genitóri, Genitóque, &c. pervenerint, surgens Heb-

domadarius imponit thus in thuribulo , & genuflectens incensat Sacramentum , ut in principio. Finitis Hymno , & Versu , quem versicularii in medio Chori cantare debent , Hebdomadarius stans dicit orationem Deus , qui nobis sub Sacramento , &c. , qua finita , & responso à Choro Amen , genuflectit , & Sacrista cum debitis genuflectionibus claudit ostium Tabernaculi: quo factò , omnes in Sacristiam discedunt eodem ordine , quo venerant.

---

DE PROCESSIONE  
Ad petendam pluviam.

**A** Guntur omnia, ut suprà in Litaniis majoribus usque ad finem Litaniarum, pag. 11. in quarum Precibus bis dicitur :

Ut congruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris, Te rogamus audi nos.

*In fine postea dicitur :*

Pater noster, &c. *secretò.*

ŷ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

*Psalmus 146.*

**L** Audate Dòminum, quoniam bonus est psalmus : \* Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Ædificans Jerúsalem Dòminus : \* dispersiones Israélis congregabit.

Qui sanat contritos corde : \* & alligat contritiones eorum.

Qui

Qui númerat multitudínem stellárum : \* & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster , & magna virtus ejus : \* & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus : \* humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : \* psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus : \* & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : \* & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : \* & pulis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : \* nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum . \* & in eis , qui sperant super misericórdia ejus.

Glória Patri , &c.

*Quo finito dicantur Preces.*

ŷ. Operi Dómine cœlum núbibus.

R. Et para terræ plúviam.

ŷ. Ut prodúcat in móntibus fœnum.

R. Et herbam servitúti hóminum.

ŷ. Ri-

ŷ. Riga montes de superióribus tuis.

R. Et de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

ŷ. Dómine exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Orémus. *Oratio.*

**D**Eus, in quo vívimus, movémur, & sumus, plúviam nobis tríbue congruéntem: ut præsentibus auxiliis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciáliùs appetámus.

*Oratio.*

**P**Ræsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui in afflictiónè nostrà de tua pietáte confidimus, contra advérfa ómnia tua semper protectiõe muniámur.

*Oratio.*

**D**A nobis, quæsumus Dómine, plúviam salutárem: & áridam terræ fáciem fluéntis coeléstibus dignánter infúnde. Per Dóminum nostrum, &c.

ŷ. Dó-

- ŷ. Dóminus vobíscum.  
 R. Et cum spírítu tuo.  
 ŷ. Benedicámus Dómino.  
 R. Deo grátias.  
 ŷ. Exáudiat nos omnípotens, & miséricors  
 Dóminus.  
 R. Amen.  
 ŷ. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei re-  
 quiéscant in pace.  
 R. Amen.
- 

P R O C E S S I O  
 Ad postulandam serenitatem.

**O** Mnia fiant, ut supra in Litaniis majori-  
 bus, pag. 11.; & in Litaniarum Precibus  
 bis dicatur:

Ut fidélibus tuis áeris serenitátem concéde-  
 re dignéris, Te rogámus audi nos.

*Ad finem obsecrationum dicitur:*

Pater noster, &c.

- ŷ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.  
 R. Sed líbera nos à malo.

*Psal.*

*Psalmus 66.*

**D**Eus misereatur nostri, & benedicat nobis: \* illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: \* in omnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus: \* confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur, & exúltent Gentes: \* quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & Gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus, & confiteántur tibi pópuli omnes: \* terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, & benedícat nos Deus: \* & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, & Fílio, &c.

ŷ. Adduxísti Dómine spíritum tuum super terram.

R. Et prohibítæ sunt plúviæ de cælo.

ŷ. Cùm obdúxero núbibus cælum.

R. Apparébit arcus meus, & recordábor fœderis mei.

ŷ. Illústra fáciem tuam Dómine super servos tuos.

R. Et bénedic sperántes in te.

E

ŷ. Dó-

ŷ. Dómine exáudi oratióem meam;

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Oratio.

**D**Eus, qui culpâ offénderis, pœnitentiâ placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice: & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

Oratio.

**A**D te nos, Dómine, clamántes exáudi; & áeris serenitátem nobis tríbue supplicántibus: ut qui justè pro peccátis nostris affligimur, misericórdia tua præveniénte, cleméntiam sentiámus.

Oratio.

**Q**Uæsumus, omnípotens Deus, cleméntiam tuam: ut inundántiam coérceas ímbrium, & hilaritátem vultus tui nobis imperítire dignéris. Per Dóminum nostrum, &c.

PRE-

---



---

P R E C E S

Ad repellendam tempestatem.

**P**ulsantur campanæ, & qui adesse possunt,  
in Ecclesiam convocatis, dicuntur *Litaniæ*  
*ordinariæ*, ut supra, pag. 11., in quibus bis dicitur:

A fúlgure & tempestáte.

Et post *Litanias*, *Orationemque*, *Dominicam*

*Psalms* 147.

**L**auda Jerúsalem Dóminum : \* lauda  
Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit feras portárum tuá-  
rum : \* benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : \* & ádipe fru-  
ménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : \* veló-  
citer currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : \* nébulam sic-  
ut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : \*  
ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea : \*  
flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob : \* ju-  
stítias & judícia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi : \* & judícia  
sua non manifestávit eis.

Glória Patri, & Fílio, &c.

Ÿ. Adjutorium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum, & terram.

Ÿ. Osténde nobis Dómine misericórdiam  
tuam.

R. Et salutáre tuum da nobis.

Ÿ. Adjúva nos Deus salutáris noster.

R. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine,  
libera nos.

Ÿ. Nihil proficiat inimícus in nobis.

R. Et filius iniquitátis non appónat nocére  
nobis.

Ÿ. Fiat misericórdia tua, Dómine, super  
nos.

R. Quemádmódu sperávimus in te.

Ÿ. Salvum fac pópulum tuum Dómine.

R. Et bénedic hæreditáti tuæ.

Ÿ. Non privábis bonis eos, qui ámbulant in  
innocéntia.

R. Dómine Deus virtútum, beátus homo, qui  
sperat in te.

Ÿ. Dó-

ŷ. Dómine exáudi oratiómem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

Oratio.

**D**Eus , qui culpâ offénderis , pœnitentiâ placáris , preces pópuli tui supplicántis propítius réspice : & flagélla tuæ iracúndiæ , quæ pro peccátis nostris merémur , áverte.

Oratio.

**A**Domo tua , quæsumus Dómine , spirítales nequítiae repellántur , & aereárum discédât malígnitas tempestátum.

Oratio.

**O**Mnípotens sempitérne Deus , parce metuéntibus , propitiáre supplicibus : ut post nóxios ignes núbium , & vim procellárum in matériam tránseat laudis , comminátio tempestátum.

Oratio.

**D**omine Jesu , qui imperásti ventis , & mari , & facta fuit tranquíllitas magna :  
exáu-

exáudi preces famíliæ tuæ, & præsta; ut hoc signo sanctæ Crucis ✠ omnis discédât sævítia tempestátum.

*Oratio.*

**O** Mnípotens & miséricors Deus, qui nos & castigándo fanas, & ignoscéndo conservas: præsta supplicibus tuis; ut & tranquillitátibus optátæ consolatiónis lætémur, & dono tuæ pietátis semper utámur. Per Dóminum nostrum, &c.

*Aspergatur aqua benediçta.*

**PRECES DICENDÆ**  
Tempore penuriæ, & famis.

**A** Guntur omnia, ut supra in Litaniis maioribus usque ad finem Litaniarum, pag. 11., in quarum Precibus bis dicitur:

Ut fructus terræ dare, & conservare dignéris:

*Post Litanias dicitur:*

Pater noster, &c.

ŷ. Et ne nos indúcas in tentatióne.

R̄. Sed líbera nos à malo.

*Psal.*

*Psalmus 22.*

**D**ominus regit me, & nihil mihi déerit: \*  
in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: \* áni-  
mam meam convértit.

Dedúxit me super fémitas justítia: \* pro-  
pter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ  
mortis, | non timébo mala: \* quóniam tu me-  
cum es.

Virga tua, & báculus tuus: \* ipsa me con-  
soláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam: \* advér-  
sus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: \* & ca-  
lix meus inébrians, | quàm præclárus es!

Et misericórdia tua subsequétur me: \* óm-  
nibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, \* in lon-  
gitúdinem diérum.

Glória Patri, & Fílio, &c.

ŷ. Dómine non secúndùm peccáta nostra fá-  
cias nobis.

R. Neque secúndùm iniquitátes nostras retrí-  
buas nobis.

ŷ. Oculi

- ŷ. Oculi ómnium in te spérant Dómine.  
 R. Et tu das escam illis in témpore oppor-  
 túno.  
 ŷ. Meménto congregatiónis tuæ.  
 R. Quam possedísti ab inítio.  
 ŷ. Dóminus dabit benignitátem.  
 R. Et terra nostra dabit fructum suum.  
 ŷ. Dómine exáudi oratióem meam.  
 R. Et clamor meus ad te véniat.  
 ŷ. Dóminus vobíscum.  
 R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

*Oratio.*

**I** Neffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménte osténde: ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis, quas pro his merémur, erípias.

*Oratio.*

**D**A nobis, quæsumus Dómine, piæ supplicatiónis efféctum, & famem propitiátus avérte: ut mortálicum corda cognóscant & te indignánte tália flagélla prodíre, & te miseránte cessáre.

*Ora*

*Oratio.*

**P**Opulum tibi súbditum pro peccátiis suis fame laborántem ad te, Dómine, con-  
 vértte propítius, qui quæréntibus regnum tuum  
 ómnia adjiciénda esse dixísti. Qui vivis, & re-  
 gnas cum Deo Patre, &c.

**P R O C E S S I O**

Tempore mortalitatis, & pestis.

**F**iat ut suprà in *Litaniis majoribus*, pag. 11.;  
 & in *Litaniarum Precibus* dicatur bis:

A peste & fame, Líbera nos &c., ut *infra suo loco*.  
 Ut à pestiléntiæ flagéllò nos liberáre, &c.

*In fine Litaniarum dicitur:*

Pater noster, &c.

ŷ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Re. Sed líbera nos à malo.

*Psalms 6.*

**D**omine, ne in furóre tuo árguas me: \*  
 neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus

F

sum:\*

sum: \* sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: \* sed tu Dómine úsquequò?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: \* saluum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: \* in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, | lavábo per singulas noctes lectum meum: \* lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: \* inverávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes, qui operámini iniquitátem: \* quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecationem meam: \* Dóminus orationem meam suscépit.

Erubéscant, & conturbéntur vehementer omnes inimíci mei: \* convertántur, & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri, & Fílio, &c.

ŷ. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.

R. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

ŷ. Ad-

ŷ. Adjuva nos Deus salutáris noster.

R. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine,  
libera nos.

ŷ. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrá-  
rum antiquárum.

R. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, I quia  
páuperes facti sumus nimis.

ŷ. Ora pro nobis sancte Sebastiane.

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

ŷ. Dómine exáudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

*Oratio.*

**E**Xáudi nos, Deus salutáris noster: & in-  
tercedente beáta, & gloriósa Dei Geni-  
tríce María semper Vírgine, & beáto Seba-  
stiano mártire tuo, & ómnibus Sanctis, pó-  
pulum tuum ab iracúndiæ tuæ terróribus líbe-  
ra, & misericórdiæ tuæ fac largitáte secúrum.

*Oratio.*

**P**ropitiáre, Dómine, supplicatióibus no-  
stris, & animárum & córporum medere  
languóribus, ut remissione percépta, in tua  
semper benedictióne lætemur.

*Oratio.*

**D**A nobis, quæsumus Dómine, piæ petitionis effectum: & pestilentiam, mortalitatemque propitiatus averte; ut mortalium corda cognoscant, à te indignante talia flagella prodire, & te miserante, cessare. Per Dóminum:

**P R E C E S D I C E N D Æ**  
in Litaniis tempore belli.

**P***Eractis omnibus ut supra in Litaniis majoribus, pag. 11. ad finem Litaniarum dicitur:*

Pater noster, &c.

ŷ. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

*Psalmus 45.*

**D**Eus noster refugium, & virtus: \* adjutor in tribulationibus, quæ invenérunt nos nimis.

Propterea non timébitur, dum turbábitur terra: \* & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: \*

con-

conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: \*  
sanctificávit tabernáculum suum Altíffimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur: \*  
adjuvábít eam Deus manè dilúculò.

Conturbátæ sunt Gentes, & inclináta sunt  
regna: \* dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: \* fuscéptor  
noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, | quæ pó-  
fuit prodígia super terram: \* áuferens bella uf-  
que ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: \* &  
scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte, quóniam ego sum Deus: \*  
exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: \* fuscéptor  
noster Deus Jacob.

Glória Patri, & Fílio.

ŷ. Exúrge, Dómine, ádjuva nos.

R. Et líbera nos propter nomen tuum.

ŷ. Salvum fac pópulum tuum, Dómine,

R. Deus meus, sperántem in te.

ŷ. Fiat pax in virtúte tua.

R. Et abundántia in túrribus tuis.

ŷ. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis:

R. A fácie inimíci.

ŷ. Ar-

- ŷ. Arcum cóntere , & confrínge arma.  
 R. Et scuta combúre igni.  
 ŷ. Mitte nobis , Dómine , auxiliúm de sancto.  
 R. Et de Sion tuére nos.  
 ŷ. Dómine exáudi oratiómem meam.  
 R. Et clamor meus ad te véniat.  
 ŷ. Dóminus vobíscum.  
 R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

*Oratio.*

**D**Eus , qui cónteris bella , & impugnató-  
 res in te sperántium poténtia tuæ defen-  
 siónis expúgnas : auxiliáre fámulis tuis implo-  
 rántibus misericórdiam tuam ; ut inimicórum  
 suórum feritáte depréssa , incessábili te gratiá-  
 rum actiõne laudémus.

*Oratio.*

**D**Eus , à quo sancta desidéria , recta confi-  
 lia , & iusta sunt ópera : da servis tuis il-  
 lam , quam mundus dare non potest , pacem ;  
 ut & corda nostra mandátis tuis dédita , & hó-  
 stium subláta formídine , témpora sint tuâ pro-  
 tectiõne tranquílla.

*Ora-*

*Oratio.*

**H** Ostium nostrorum, quæsumus Dómine, elíde supérbiam: & eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prosterne. Per Dóminum.

*Si verò bellum est contra Turcas, & alios Infideles, vel Hæreticos, inter Preces Litaniarum bis dicatur:*

Ut inimicos sanctæ Ecclésiæ humiliare dignéris, Te rogámus, audi nos.

*Et addatur:*

Ut Turcárum, vel Hæreticórum conátus reprímere, & ad níhilum redígere dignéris; Te rogámus, audi nos.

*Et dicto Pater noster dicatur*

*Psalmus 78.*

**D**Eus venérunt Gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: \* posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticina fervórum tuórum ef-cas volatílibus cœli: \* carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem: \* & non erat qui sepelíret.

Facti

Facti sumus opprobrium vicinis nostris : \*  
 subfannatio , & illúfio his , qui in circúitu no-  
 stro sunt.

Usquequò , Dómine , irascéris in finem : \*  
 accendétur velut ignis zelus tuus ?

Effúnde iram tuam in Gentes , quæ te non  
 novérunt : \* & in regna , quæ nomen tuum  
 non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob : \* & locum ejus  
 defolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum anti-  
 quárum , citò antícipent nos misericórdiæ tuæ : \*  
 quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos , Deus salutáris noster , | & propter  
 glóriam nóminis tui , Dómine , líbera nos : \* & pro-  
 píus esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Ne fortè dicant in géntibus : | Ubi est Deus  
 eórum ? \* & innotéscat in natióibus coram  
 óculis nostris.

Ultio fánguinis fervórum tuórum , qui effú-  
 sus est : \* intróeat in conspéctu tuo gémitus  
 compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui : \* póf-  
 fide filios mortificatórum.

Et redde vicinis nostris séptuplum in sinu  
 eórum : \* impropérium ipsórum , | quod ex-  
 probravérunt tibi , Dómine.

Nos

Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ : \* confitébimur tibi in sæculum.

In generatióem, & generatióem, \* annuntiábimus laudem tuam.

Glória Patri, & Fílio, &c.

ŷ. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus, sperántes in te.

ŷ. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

R. A fácie inimíci.

ŷ. Nihil proficiat inimícus in nobis.

R. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis

ŷ. Hóstium nóminis tui, Dómine, elíde superbiam.

R. Et eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prosterne.

ŷ. Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti.

R. Et Angelus Dómini persequátur eos.

ŷ. Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt.

R. Et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.

ŷ. Mitte nobis, Dómine, auxiliúm de sancto.

R. Et de Sion tuére nos.

ŷ. Dómine exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

*Orémus.**Oratio.*

**D**A quæsumus, Ecclésiæ tuæ, misericors Deus: ut sancto Spíritu congregata, hostili nullatenus incurfione turbetur.

*Oratio.*

**D**Eus, qui culpa offēderis, pœnitentia placaris, preces pópuli tui supplicantis propitiùs respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

*Oratio.*

**O**Mnipotens sempitærne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestates, & ómnium jura regnórum: respice in auxilium Christianórum; ut Gentes Turcárum, seu Hæreticórum, quæ in sua feritate confidunt, dextere tuæ poténtia conterántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.  
R. Amen.

Exáudiat nos Dóminus. R. Amen.

PRE-

---



---

P R E C E S

In quacumque tribulatione,

Quæ dici debent pro felici partu Reginae ; pro salute Regis , seu personæ Regiæ ; & pro quacumque necessitate , quæ non sit ex assignatis in titulis antecedentibus.

**S**ervatis omnibus , ut supra in Litaniis majoribus , pag. 11. , finitis Litaniis , dicitur :

Pater noster , &c.

ꝰ. Et ne nos inducas in tentationem.

Rꝰ. Sed libera nos à malo.

*Psalmus 19.*

**E**Xáudiat te Dóminus in die tribulationis : \*  
prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxiliú de sancto : \* & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : \* & holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : \* & omne consilium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo : \* & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : \* nunc cognóvi , quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : \* in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus , & hi in equis : \* nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt , & cecidérunt : \* nos autem surréximus , & erécti sumus.

Dómine , salvum fac regem : \* & exáudi nos in die , qua invocavérimus te.

Glória Patri , &c.

*Vel Psalmus 90.*

Qui hábitat in adjutório Altíssimi.

*Quo finito , dicuntur :*

ŷ. Deus refúgium nostrum , & virtus.

R. Adjutor in tribulatió nibus.

ŷ. Salvos fac servos tuos , Dómine.

R. Deus meus , sperántes in te.

ŷ. Sanctus Deus , sanctus fortis , sanctus immortalis.

R. Misérére nobis.

ŷ. Adjuva nos , Deus , salutáris noster.

R. Et propter glóriam nóminis tui , Dómine , libera nos.

ŷ. Dó.

ŷ. Dómine exáudi oratiónem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

ŷ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

*Oratio.*

**N**E despicias, omnipotens Deus, pópulum tuum in afflictióné clamántem, sed propter glóriam nóminis tui tribulátis succurre placátus.

*Oratio.*

**I**Neffábilem misericórdiam tuam, Dómine, nobis cleménter osténde: ut simul nos & à peccátis ómnibus éxúas, & à pœnis, quas pro his merémur, erípias.

*Oratio.*

**C**oncéde nos fámulos túos, quæsumús Dómine Deus, perpétua mentis, & corpóris fanitáte gaudére: & gloriósa beátæ Mariæ semper Vírginis intercessióne, à præfénti liberári tristítia, & æténa pérfrui lætítia.

*Oratio.*

**T**ribulatiónem nostram, quæsumús Dómine, propítiús réspice, & iram tuæ indignatiónis, quam justè merémur, avérte.

*Ora-*


*Oratio.*

**D**Eus, refúgiúm nostrum, & virtús: adé-  
sto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor  
ipse pietátis, & præsta: ut quod fidéliter pé-  
timus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

## LITANIÆ, ET PRECES

Cantandæ in Ecclesiis, in quibus indicta est  
oratio quadraginta horarum cum expo-  
sitione Sanctissimi Sacramenti.


**I**N primo die orationis, cantata Missa, in qua  
consecratur Hostia pro expositione, incensa-  
tur Sacramentum more solito; & fit processio in-  
tra Ecclesiam; qua finita, & collocato Sacra-  
mento super Thronum, cantatur Tantum ergo  
&c., & Genitóri. Interim incensatur Sacramen-  
tum de more. Mox à duobus Cantoribus incipiun-  
tur Litanie, ut sequitur.

**K** 


Y- ri- e e- lé- i- son.

Chorus idem repetit, & sic in sequentibus us-  
que ad Pater de cœlis Deus exclusivè.


Chri-




Chri- ste e- lé- i- fon.



Ky- ri- e e- lé- i- fon.




Chri- ste au- di nos.



Chri- ste ex- áu- di nos.




*Can-  
tores.* Pa- ter de cœ- lis De- us,




*Cho-  
rus.* Mi- se- ré- re no- bis.

Fili

Fili Redemptor mundi Deus, Misere nobis.  
 Spiritus sancte Deus, Misere nobis.  
 Sancta Trinitas unus Deus, Misere nobis.



San-cta Ma-ri-a,




O-ra pro no-bis.

Sancta Dei Genitrix,	ora.
Sancta Virgo Virginum,	ora.
Sancte Michael,	ora.
Sancte Gabriel,	ora.
Sancte Raphael,	ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli,	orate.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,	orate.
Sancte Joannes Baptista,	ora.
Sancte Joseph,	ora.
Omnes sancti Patriarchae, & Prophetae,	orate.
Sancte Petre,	ora.
Sancte Paule,	ora.
Sancte Andrea,	ora.
Sancte Jacobe,	ora.

San-

Sancte Joannes ,	ora.
Sancte Thoma,	ora.
Sancte Jacóbe ,	ora.
Sancte Philíppe ,	ora.
Sancte Bartholomæe ,	ora.
Sancte Mathæe ,	ora.
Sancte Simon ,	ora.
Sancte Thaddæe,	ora.
Sancte Mathía ,	ora.
Sancte Bárnaba ,	ora.
Sancte Luca ,	ora.
Sancte Marce ,	ora.
Omnes sancti Apóstoli , & Euangelístæ,	oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini ,	oráte.
Omnes sancti Innocéntes ,	oráte.
Sancte Stéphane ,	ora.
Sancte Lauréti ,	ora.
Sancte Dionysí ,	ora.
Sancte Vincéti ,	ora.
Sancti Fabiáne , & Sebastíane ,	oráte.
Sancti Joannes , & Paule ,	oráte.
Sancti Cosma , & Damiáne ,	oráte.
Sancti Gervási , & Portási ,	oráte.
Omnes Sancti Mártyres ,	oráte.
Sancte Silvéster ,	ora.
Sancte Gregóri ,	ora.
Sancte Ambrósi ;	ora.


Sancte Augustíne , ora.  
 Sancte P. N. Hierónyme , ora.  
 Sancte Martíne , ora.  
 Sancte Nicoláe , ora.  
 Omnes Sancti Pontífices, & Confessóres, oráte.  
 Omnes Sancti Doctóres , oráte.  
 Sancte Antóni , ora.  
 Sancte Benedícíte , ora.  
 Sancte Bernárde , ora.  
 Sancte Domínice , ora.  
 Sancte Francísce , ora.  
 Sancte Ludovíce , ora.  
 Omnes Sancti Sacerdótes , & Levítæ , oráte.  
 Omnes Sancti Mónachi , & Eremítæ , orate.  
 Sancta María Magdaléna , ora.  
 Sancta Agatha , ora.  
 Sancta Lúcia , ora.  
 Sancta Agnes , ora.  
 Sancta Cæcília , ora.  
 Sancta Catharína , ora.  
